

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

tis ergo supra vires etiam, legationi se adjunxit, quod speret aliquam ipsius esse penes Ecclesias Christi gratiam. Non descendissent optimi fratres ad hoc consilium, nisi summa extremaque urgente inopia, atque adeo reliquis remediis frustra tentatis. Nostra Respublica, apud quam ipsorum nomine die hodierna egi, collectam, quantum prospicio, instituet. Et ex arario munus, ut spero, non illiberale adjiciet. Nec dubito, quin vester Amplissimus Senatus manus auxiliatrices & ipse porrecturus sit, & declaraturus erga illustrem Ecclesiam charitatis viscera: erit remunerator is, qui pauper factus est, ut nos redderet locupletes. De Galliarum statu presentis scriberem nunc quidem, eod quod varia certa que acceperim, sed quia Farellum habes, ex quo potes explicatius omnia cognoscere, non est, ut pluribus tuis sanctissimis occupationibus obstrepam. Quare te gratia DEI commendo cum uxore totaque familia, Symmisti item & Professoribus, quibus salutem ut dicas meis verbis amanter & reverenter.

Exciderat quod maximè operæ pretium videbatur, ut quia isthinc hi fratres ad Carolum Marchionem profecturi, in medio ferè itinere Philbertum Marchionem habent, per te ministro ejus principis Antistiti commendetur negotium, perque Senatum vestrum ipsi principi, cum quo si aliqua notitia & tibi intercessit, non sine fructu etiam tuas ad ejus Celsitudinem adjunxeris. Scripsi Basileæ. 9. Augusti Anno 1561.

*T. p. totus ut semper*

S. Sulcerus.

XXVI.

**S** In Christo. Reverende in Christo frater. Reipsa comperi, nimiam facilitatem esse perniciosam. Ego motus literis D. Sturmii contuli quædam cum vestro Zancio. Ipse autem spargit, ut audio, apud vos, me propositiones ejus approbasse. Equidem non negaverim, me in iis propositionibus non improbasse quædam. Sed & consilium reprehendi, & ne his ~~propositionibus~~ perturbet scholam ac ecclesiam, admonui. Propositiones de prædestinatione sic nude & simpliciter positæ magis prophanant hoc mysterium, quam explicant. In propositionibus de Antichristo & fine seculi reprehendit aliorum conjecturas, sed novis conjecturis æquè incertis. In propositionibus de fide, prorsus insanit, dum ait, Electos non posse excidere à fide, & amittere Spiritum Sanctum; & cum fingat hominem peccantem peccare tantum secundum exteriorem hominem, non interiorem, ac manifestè significat, se scilicet primum caput Pauli ad Romanos non intelligere. Optarim, ut Zancus memi-

meminisset, quod esset officium hospitis, de qua re eum coram admonui. Sed quia iacta est alea, horror te, ut tu, quod facis, tui memineras officii, & quantum salva conscientia fieri potest, rixas devites, ac usitatam nostram doctrinam sacris literis & in confessione Augustana comprehensam, constanter sequaris & tuearis. Bene ac feliciter vale. Studgardiaë, die 3. Februarii Anno M D LXII.

Jo. Brentius.

Quod penè exciderat, Zancus de cœna Domini coram me ita differebat, proinde ac si esset tantum logomachia. Ego verò pluribus ostendebam, esse pragmatomachiam & refutabam sententiam ejus.

XXVII.

**S** In Christo. Libellum de homine, Vir Clarissime, vestræ Ecclesiæ & Reip. inscripsi, non ob alias causas, nisi quod constantia vestræ Ecclesiæ in sincera Evangelii doctrina hætenus delectatus sum. Decet enim nos ejusmodi beneficia Dei agnoscere, & grata mente prædicare. Ego igitur, ut aliquod signum meæ benevolentiaë seu potius gratulationis ostenderem, hunc qualemcunque libellum, à me in Academia Jenensi propositum, vobis dedicare volui. Deinde spero, hac occasione vicinos quoque ejusmodi explicationem libentius esse lecturos. Essi autem nulla mihi tecum intercedit amicitia, nisi quod propter commune ministerium verbi Dei, in quod nos Deus collocavit, nos conjunctos esse decet, & quod bonorum testimonio tuam pietatem & humanitatem prædicari audivi, tamen officium quoddam pium & honestum meo quidem judicio, à te petendum esse putavi, quod est ejusmodi. Cum neminem in vestra Rep. habeam mihi notum, amanter oro, ut hunc meum studiosum consilii adjuves, quomodo libellum de homine Amplissimo vestro Senatui offerre queat, vel si possem à te impetrare, peterem, ut ipsemet meo nomine exhiberes. Pro hoc officio perpetuam benevolentiam & gratitudinem polliceor.

De statu Ecclesiarum in his regionibus nihil attinet scribere, cum ex aliis sine dubio cognoscas, & hic meus studiosus tibi coram narrare commodissime possit. Ego quidem & M. Judex tempestati exortæ paululum cedentes, Magdeburgum nos rursus recepimus, ubi privatam tanquam in exilio agimus vitam, expectantes vocationem legitimam à DEO nostro, cui servimus. Quocunque enim ille nos vocaverit & deduxerit, eo ibimus, eumque precamur, ut sinat nos esse organa suæ Ecclesiæ salutaria. Si quid nos etiam hac in parte juvare potes, quæso ut propter commune verbi DEI